

Memoria casus rari in gynaecis praecipue adnotandi : cum uteri antica facie omenti margo ex aliqua parte coaluerat : praegnans facta, medium graviditatis non assecuta, inopinato moritur / a J. P. Weidmann.

Contributors

Weidmann, Johann Peter, 1751-1819.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Mogontiacy : Apud Florianum Kupferberg, 1818.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kcbpv6au>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MEMORIA CASUS RARI

IN

GYNAECEIS PRAECIPUE ADNOTANDI:

cum uteri antica facie omenti margo ex aliqua parte coa-
luerat; praegnans facta, medium graviditatis non
assecuta, inopinato moritur.

A

J. P. WEIDMANN, M. D.

CUM FIGURA.

MOGONTIACI,

APUD FLORIANUM KUPFERBERG,

1848.

Rationalem quidem puto medicinam esse debere: instrui vero ab evidentibus causis.

CELSUS.

Magnorum in medicina casuum vices et eventus referre, utile semper et medentibus gratum; nunquam noxium aut super-
vacuum accipi potest; eo magis hi annotandi sunt, quo rari-
ores fuerint et difficiles cognitu medicorum spes praesagiave
facile fallant eoque horum aestumationi infensi repperiantur.
In talem casum incidentem me cum sodalibus nimia spes lusit;
ideo recolenda mihi ejus memoria, ne interlabatur, visa fuit,
parco quidem verbo, quo in majorem, si non artis vim, sal-
tem prudentiam imposterum agi possimus.

Matrona nobilis, annorum fere viginti novem, bene, quan-
tum apparet, valens, familia staturaque inter procures; bis
felici partu sanos fetus ediderat; post mariti reditum, qui an-
num fere abfuerat, male habere incipit; periodus menstrua
in diem octavam mensis Septembris anni MDCCCII recidua,
sicca praeterit.

Molestus primum capitis dolor aegram init, qui sensim in-
gravescens acriter eam divexat. Offeruntur varia, quibus pa-
care nervorum turbas solent; haec vero assumere aegra insito
et insuperabili fere, quod illam retinet, fastidio omittit; eam
etiam ob causam, quod se utero concepisse existumat.

Sponte per vices cessat, reditque catameniorum quid; actis ita tribus fere hebdomadibus vomitus oriri et iterari; his non nisi sincera rejiciuntur: mucus, assumpta alimenta, nonnunquam et bilis.

Hic rerum status indies pejor fit, vomitus praecipue; nec datis demum pacantibus medicamentis impeditur, quin assumpta alimenta tam fluida quam solida confestim rejiciantur. Aegra ideo pacantium usum iterum dimittit; vires interim valde labascunt, nec quid in causa sit? certo scitur; superincidunt anxietatum assultus inexplicabiles et familiares perterrent, qui et animis prorsus franguntur; ipsa praegnans, inlamenta et lacrumas profusa, saepe specie desperantis convocat maritum, pueros, reliquosque, qui in procinctu sunt, amicos; conclamat: postremam luctam sibi instare, ultimumque circumquaque: vale, dicit.

Invocatus (sub finem octobris) familiae medicus observat redire per intervalla tales angustias, imminui vires et corporis hujusque torositatem, extremorum inferiorum praeprimis et luculentius; usus remediorum in et externorum, quae componendis nervorum turbis viribusque refocillandis celebrantur, resumitur serio; at cum asperari malum potius, quam minui videretur, iterum omittitur; alimenta interim ut ut blanda, facilia digestu et parca copia assumpta vomitu, acrioris sensim notae et diras inter anxietates rejiciuntur; aegra lecto jam fere affigitur; interdum tamen sat bene habet, ut cum marito in rheda vehi et extra urbem aura serena obambulare et refici posset; nec tamen anxietatum graves illae scenae recurrere, incertis quidem temporum periodis, cessant.

His jam saepe modo perterrita domus, die quinta novembris consilio me adjungit; recitatis quae eousque obtigerant, innotuit: quaeri aegram de sensu gravitatis caput occupante, de linguae et universae fere cutis stupore, de imminuta sensibilitate in digitorum praecipue extremis, de oculorum caligine, de praecordiis palpitantibus mireque anxiis; demum iterum iterumque lamentari specie desperantis et extremam cum morte luctam obeuntis. Tensivus dolor per omnes fere corporis partes divagatur, suras tamen praecipue infestat, in quibus et lenis frictio levamen adfert; interna medicamenta qualiacunque fere tentata fuere, at sine fruge.

Itaque rebus aegrae jam secundis jam adversis, jam in novam spem vix redditi, non diu post in terrores novos dejicimur; de graviditate, ut turbarum sola causa, consultatores consentimus; attamen cum latere nos aliae rationes possent, ad penitiorem causae cognitionem facientes (nam summotum in me dubium fuit, anne uterus fors resupinato situ vel aliis vitiatus non sit?) explorationem externarum et internarum pelveos partium propono; hac quinta die novembris concessa, invenimus tangibilia omnia secundum naturam se habere, eoque in novam spem erigimur, inventa tali partium ratione, qualis tertio graviditatis mense esse solet, aliis nullis prodentibus se, cui insueta illa et praeter modum acerba imputanda videri possint.

Horum vicibus in vigesimam octavam usque novembris exagitati, percipimus, febrim, quae clam quasi ab initio irrepserat, sensim magis inardescere, eaque intra biduum inaestu-

are totum corpus, caput et pectus praecipue; eaque intenso rubore, veluti scarlatina eruptione, suffundi cum feroci delirio.

Die mensis decembris prima febris subsiduit, mens redit, ruborem corporis pallor excipit, exceptis hinc inde quibusdam, in anteriore trunci parte, plagis; in imi ventris cavo dolores divagantur minus quidem ac antea acres, cujus tamen loca indicare aegra nesciat, quaeque hactenus in latus, adductisque in anteriora femoribus decumbere semper visa fuit, in dorsum jam sapius reclinata conspicitur.

Sub horam vespertinam septimam febris exacerbatur et humorum in caput congestio et rubor deliriumque. Redeunt, sub mediam noctem et mens et requies; sudor pessimi ominis quaquaversum diffunditur viresque prorsus prosternit; in viis aereis mucus colligitur nec excreari ultro potest.

A primo febris impetu de aegrae salute recuperanda perquam jam trepidis, invocatus adhuc fuit venerandus senior noster CAR. STRACK, aliam tamen, ac hactenus, medicationem inire non possumus; liquet mortem in procinctu esse; hanc aegra persentiscens, suis valedicit et hora fere vespertina septima ultimum spiritum emittit.

Moerens et conturbatus luctu maritus nec sine ira in medicos fuit, qui, fausta constanter fine freti, tristissimum fatum avertere non noverant; ideo, ut cadaver inspiciatur exposcit, quo et culpa, si meruerimus medici argui possemus, ejusque odium incurrere; nam semper vigil est censurarum in medicos nequitia, etiam si malum arte superari nequivit.

Convocantur igitur in horam pomeridianam tertiam altero ab obitu die cum D. ZENZEN et me, DD. STRACK (pater et filius)

ACKERMANN, MEGELE, LEYDIG; conveniuntque in anatomicum amphitheatrum cadaver hic collustraturi.

Cadaver nudatum universim sat pingue adhuc et torosum apparet, suris exceptis, quae praeter rationem totius graciles et flaccidae sunt. Abdomen nec valde tumet aut durum est; supra pubim regio sursum et extrorsum tantisper expansa est, intus durum quid tangitur.

Apertum abdominis cavum viscera veluti sanissimi hominis primo obtutui exhibet. En tamen! quae vel ab ordine, qui esse solet, vel a norma sanitatis abesse conspiciuntur.

Uterus, aliis partibus non coopertus, summum minoris pelveos undiquaque fere implet, specie corporis alicujus globosi; hujus exiguam partem flexus coli illiacus, e pelvi sinistra ascendens, tegit; levi attactu fluidum intus prodit se, ut ejus undulatio a spectantibus percipi possit.

In cavum abdominis laticis lymphatici tres fere unciae circumquaque diffusae sunt.

Omentum in modum fasciae margine sua libera elongatum et deorsum magis magisque gracilescens, latiore dein latioreque fine utero in antica et media fere ejus facie firmo nexu conjunctum est. Vid. *Fig. a.*

In utero, qua parte facies anterior dexterius cum posteriore coit, macula nigricans prodit se, diffusa in omnem fere imi et antici uteri ambitum, in quem extremum omenti concrevit; haec macula nigrior est in partibus tubae dextrae affinis.

Uterus nonnulla tubercula (steatomata dixerim) offert aliqua peritoneo solum, aliqua et intra ipsum uteri contextum recondita sunt, tactuque sentiuntur. Vid. *Fig. b.*

E fimbria tubae dextrae tenuis chorda, (nervum a vicino nexu solutum diceres) elongatur immittiturque firmo etiam nexu in imam et anticam uteri faciem. Vid. *Fig. c.*

Rete vasorum in alis, quas vispertilionum dicunt, sanguine ex atro livente repletum est.

Discisso superius omento, intestina tenuia vacua et sana apparent; colon ascendens contractum flatu et duris scybalis refertum est, intestinum rectum utero compressum; — in cavo abdominis, parte ejus epigastrica ventriculus laxus, infra hepar, secus, ae esse solet, dimissus eique multo inferior; duodenum prope pylorum maculam nigram refert in sesqui fere centumetrum undiquaque excurrens.

Utero jam e cavo abdominis exempto, apparet, nigram illam, quam diximus maculam in posticam etiam et inferiorem ejus partem diffusam esse et majora potissimum vasa sequi. — Uterus in tabulam expositus spheroidem formam refert, centumetros fere quindecim (sex pollices) emetitus.

E divisa jam postica, cui placenta coaluit, uteri pariete, liquoris quem amnii dicunt hectogrammata duo et semis (oc- so fere unciae) profluunt; apparet foetus ponderis fere ejus- dem; longitudine duplum decimetrum non omnino (septem et quadrantem pollices) coaequat. Funiculus umbilicalis foe- tus collum semel ambit; ejus facies anterior in laevam matris versa est, capite inferiora spectante.

Cavum pectoris per diaphragma apertum sana viscera re- fert, si exiguam copiam effusi in utroque latere seri et aliqua- lem pleurae cum pleura in dextris coalitum exceperis.

Aperta et jam calvaria inter arachnoideam et vasculosam cerebri membranam diffusae lymphae quid cernitur, prae-

sertim juxta sinum longitudinalem, in albas hinc et inde maculas congestum, de caetero nullibi cerebrum non integrum videtur.

His probe recognitis, uterum cum partibus suis affinibus, illaque omenti, cui coaluerat, succisum e cavo abdominis eximi, et in spiritum vini recondi curavimus, quo dari occasio et spatium posset; imagine illum excipiendi communi usui inservitura; nam, quod potius fuisset: Uterum veluti is intra abdomen et cavum pelveos se obtulebat, depingere, angustia temporis et loci vetabat.

Interea difficile non est cognitu, malorum, quibus exagitati cum lugente familia medentes fueramus, tam primitivorum quam et postremorum principem et solam fere causam in insolito illo uteri cum omento, et, hoc mediante, cum ventriculo et colon nexu fuisse; quem sane, si secura diagnosi assequi daretur, cultello absolvere, nefas non fuisset. Verum, si in eundem hodie casum recideremus, an signa supererunt, quibus rem certo ita dignoscas, ut assumere cultellum possis, et operationem suscipere, facilem de coetero et spe plenam? signorum enim anceps haec, et diversa fere in aliis aliisque semper ratio cohibere animum medici potest, quominus indicatam quidem sed dubiam nimis operationem suscipiat, solam tamen salutis spem.

Scimus et in alia gravida, de qua clarissimus vir BEAUDELOQUE (vid. Anleitung zur Entbindungskunst, 1^r Th. p. 558.)

mentionem refert, omentum cum uteri anteriore laterali et inferiore facie cohaesisse, casumque morte etiam foeminae terminatum fuisse, attamen aliter ac in nostro casu res evenere; graviditas enim plenum terminum assecuta fuit; foeminaque parturiens mortem obiit, quam non vomitus sed frequens animi deliquium praecesserat.

Oportet autem his et illa subnectere, quae ad nostram diagnosin facere aliquo saltem modo potuissent, si suspicari de casu tam raro rei novitas non vetuisset. Cognita post factam cadaveris sectionem partium ista dispositione mortisque (nam anceps sane iudicium non est) causa, percontamur; quando, et quo modo coaluisse uterus cum omento videri possit? cum defuncta modo ante bis feliciter, et quin mali cujusdam ulla suspicio se proderet, pepererat; induximus „funestum illum nexum non nisi a postremo partu esse” inquirentibus igitur in illud, quod ultimum partum excepit puerperium, en! narratur: abnorme illud fuisse, afflictam puerperam tum febre fuisse, quam puerperalem dicunt, simulque intumuisse ventrem, torminibus subinde acerbis, quibus aegra coacta fuerit, femora in ventrem proxime adducere; remisisse postea tormina et subsidisse ventrem sensim soluta febre; saepe tamen etiam post reconvalidae sensus jam molestos, jam et acriter per intervalla dolentes rediisse, si vel derepente truncus arrigeretur, vel jacentis valde resupinaretur. His perceptis non ultro haesitaverimus pronuntiare, oborta in hoc puerperio viscerum imi ventris inflammatione, conjunctum cum utero omentum firmoque adeo cum utero nexu coaluisse. —

31 Meditamini jam, qui rerum in gynaeceis gnari estis! tu preprimis eminens inter Anglos J. HULL, utrum non detur, quibus malum, si v. g. phlegmasia dolens terreat, averti possit, vel praesens, curari?



Contigen Sc. Mog

connexus.

